





1708.

1. van den Velde, Cornelius : De plurimata infrazionum in causis religiosis.

1709.

1. Waldbauer, Iohannes Wilhelmus : Uter ex Divinis retractabilius potior?

1711.

Zamischlippus, Henricus Philippus : Ne jure ignoramus.

1712

1. Waldbauer, Ioh. Wilhelmus : De coq. quod justum est/ in Dispari regionum mensura.

1713.

1. Nicolaus Philip Christiaens : De euolumento inter antecessorem et successorem controverso.

1714.

1. Waldbauer, Ioh. Wilhelmus : De coabitione Diversarum Germaniarum regionum.

1714.

29, 6, c. Wernerus, Joh. Georgius: De pactis sola  
libens & sponte. 1714 - 1742.

1715.

1. Burgh, Johanna Ludovica: De testamento caecis

2. Bunner, Johann David: De reinvivicatione  
testamentorum

3. Waldschmidt, Johann Wilhelm: De legato creditorum  
relicto in testam impetrando. 2 Sculp.

1716.

1. Waldschmidt, Johanna Wilhelm: De locutione  
proprios heriaceis.

2. Hilt Winter, Berthold Helprich: De potestate  
juris in differentiatione et fundata  
in 1. 40 D. de jure

1717

1. Waldschmidt, Joh. Wilhelm: De cuncta  
mirabilium

1717

2. Waltschmidt, Iohann W. Wilhelm : De ponesione  
ejusque effectibus inter gentes.


1718

1<sup>a</sup>, b Waltschmidt, Iohann W. Wilhelm : De moleculis  
barbaricis . . . 2 Sept. 1718 : 1748

2<sup>a</sup>, b. Waltschmidt, Ioh. W. Wilhelm : De mutatione  
insignium et signorum S. R. T. statuum.  
2 Sept. 1718 : 1746.







E. 18. num. 73.

108

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
PLURALITATE  
SVFFRAGIORVM  
IN CAUSIS RELIGIONIS  
QUAM  
DIVINI NUMINIS AUSPICIO

ILLUSTRI CATTORUM ACADEMIA  
MARBURGENSI,

P RÆS I D E  
VIRO AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO,  
ATQUE EXCELLENTISSIMO, DOMINO

CORNELIO van den VELDE,  
J. U. D. ET PROFESSORE ORDINARIO  
CELEBERRIMO,

DOMINO, PATRONO, HOSPITE AC PRÆCEPTORE,  
OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDO.

*Publico Eruditorum Examini*

*In Ictorum Auditorio.*

Ad Diem Augusti M DCC VIII.

*submitit*

JOHANNES JACOBUS LEO.

Helveticus-Tigurinus,

Responsurus Author.

Marburgi Catt. Typis Hæred. Joh. Jodoci Kürsneri, Academ. Typogr.



# VIRIS

MAGNIFICENTISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRÆ-  
NOBILISSIMIS, PRUDENTISSIMIS

- DN. HENRICO ESCHERO<sup>z</sup> Inclytæ Reipublicæ Tigurinæ Con-  
DN. ANDREÆ MEIERO<sup>z</sup> sulibus, Patriæ Patribus optimis.  
DN. JOH. LUDOVICO HIRZELIO<sup>z</sup> ProConsulibus Amplissimis.  
DN. MATTHIÆ LANDOLTO<sup>z</sup>  
DN. JOH. HENRICO RHONIO, Aerarii publici Excuratori  
Solertissimo.  
DN. CASPARO de MURALTO, Senatori gravissimo, Oecono-  
nomiæ Redituum Ecclesiasticorum summa cum laude  
defuncto, Avo omni, quæ Nepotem decet, pietate  
colendo.  
DN. JOHANNI RHONIO, Tribunitiâ dignitate corrusco.  
DN. JOHANNI FRISIO, Tribuno plebis spectatissimo, & rei fru-  
mentariae Præfecto meritissimo.  
DN. JOH. JACOBO LEONI, Senatori gravissimo, DistrictusGro-  
ningani, ut & ad Patriæ Defensionem electorum mili-  
tum Chilarchæ strenuissimo, Præfecturæ Groninganæ  
& transalpini Comitatus Locarnensis Ex-Præfecto meri-  
tissimo, Parenti omni filialis amoris & obsequii cultu  
æternum prosequendo.  
DN. ANDREÆ MEIERO, Tribunitia dignitate conspicuo, Equi-  
tum Magistro strenuissimo.  
DN. JOHANNI HEIDEGGERO, Senatori prudentissimo.  
DN. JOH. CASPARO LANDOLTO, Senatori spectatissimo,  
reique Venatoriae-Præfecto summo; Susceptorì è sacro  
Baptismatis fonte ætatem colendo.  
DN. JOH. CONRADO ESCHERO, Mercatori florentissimo, Af-  
fini fraternâ pietate prosequendo.

ut &

ut &

*VIRO MAGNIFICO, ADMODUM REVERENDO,  
CLARISSIMO, DOCTISSIMO*

DN. JOH. CASPARO HOFMEISTERO, in Illustri Atheneo Ti-  
gurino Linguae Græcae Professori celeberrimo, p.t. ejusdem  
Scholarachæ Magnifico, & Ecclesiæ Cathedralis Canonico  
meritissimo,  
Dominis, Patronis, Fautoribus, Avo, Parenti, Cogna-  
tis, obsequiosissimè devenerandis,

*Vitam longævam,*

*Valetudinem non interruptam,*

*Animæ corporisque felicitatem*

*Propriis ipsorummet votis*

*Respondentem*

*Ardentissimè vovet.*

*Simul ac*

*Dissertationem hanc,*

*Studii sui Juridici & Historici Patrii Primitiæ,*

*Eà, quâ par est, observantia*

*Offert, dat, dicat, consecrat.*

*Tantorum Nominum*

Cultor devotissimus

JOHANN: JACOBUS LEO,  
*Auctio.*

A 2

Cum

CUM DEO.

*Præfatio.*

Nter multa, variaque media, quibus ad Prudentiæ Politicæ comparandam notitiam niti & contendere solent, qui non tantum sibi, sed & aliis, Deo & Patriæ cum primis natos se esse norunt, non infimum, sed penè supremum sibi vindicat locum *Historiæ Patriæ* veteris ac recentioris amor & diligens lectio; Ea enim, ut *Historia omnis*, teste Cicerone l. 2. de Orat. c. 9. est testis temporum, Lux Veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis, cùm juxta Livium præfat. l. 1. illud præcipue salubre & frugiferum sit, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, unde tibi, tuaque Republicæ quod imitere capias, inde fædum inceptus, fædum exitus, quod vites; hanc igitur gratus & ingenuus Patriæ alumnus sine ignaviæ de-

5

dedecore, damnoque maximo ignorare ne-  
quit; ; incitat enim ad illam excolendam  
*Patria ipsa, Ciceroni, communis omnium no-*  
*strum Parēns, quā nihil dulciss, nihil chariss*  
*nobis esse soleat;* ; ad quam amandam legem  
non scriptam, sed natam, non didicimus,  
non accepimus, non legimus, verū ex  
natura ipsa arripiimus, hausimus, expres-  
simus; ad illam non ducti, sed facti, non in-  
stituti, sed imbuti sumus; stimulant quo-  
que ingentia alia commoda, quibus re-  
censendis nunc supersedemus; hac igitur  
de causa inde à primis unguiculis hoc mihi  
fuit otium, hoc negotium, hoc studium,  
hic labor, ut nobilissimarum harum litera-  
rum mihi compararem notitiam, eritque  
etiam deinceps, ne Patriæ almæ inutile  
pondus vel degener civis existam; Ex im-  
mensa autem illa rerum magnarum messe,  
quas domestici Annales contemplandas se-  
dulo Lectori sīstunt, imprimis notanda ve-  
nit *Pax Religiosa* post Bellum Capellanum  
ob Religionis Reformationem inter Hel-  
vetios Anno 1531, exortum, subsecuta, ex  
qua, dum quidam, præsertim *Autor Clavis*  
*Theologicae* ante decennium, ni fallor, editæ,

A 3

varia

varia extorquere verbisque ejus varium &  
 manifestè repugnantem sensum affingere  
 non erubescunt, præcipue in Materia de  
*Pluralitate suffragiorum in causis Religionis;*  
 hinc non verendum mihi puto nequis  
~~et ergo iustus et iustus et iustus~~ dicam mihi impingat,  
 si Divina adjuvante gratia & veritate Duce,  
 paucis & quantum per ingenii tenuitatem  
 licebit, de hac materia, primò in genere, &  
 dein in specie quoad supradicti Autoris ob-  
 jectiones, specimenis Academici loco dispe-  
 ram, quod ut B. L. amica mente perlegere,  
 meisque porrò connatibus favere  
 dignetur, est quod enixè  
 contendō.



*Thes. I.*

¶ 7 ¶

## Thes. I.

**N**on una est in hoc universo rerum agenda-  
rum & judicandarum ratio & modus. Raro  
enim unius arbitrio, potissimum, si quæ  
sunt arduæ, res expedientur, sed plerumque,  
qualem cunque etiam respiciamus Reipubli-  
cæ formam atque statum, plurium consiliis  
atque sententiis. Ubi verò per plures res agitur, ut illi  
finem sibi propositum, administrationem scilicet justitiae,  
& tuitionem jurium ac rerum, assequantrur, requiritur in  
primis eorum consensus, quo deficiente tantum sibi sunt  
impedimento, atque negotia penitus irrita redduntur.  
Cùm verò difficile sit, ut omnes consentiant, etenim

*Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.*  
& quod uni videtur, alter non statim recipit, dum nullus  
prudentia vinci, aut in jure pari alteri cedere vult,

*Nec quisquam quod non placet, sibi judicat æquum.*  
indeque fieri potest, ut negotiorum ac litium nullus ferè  
existat finis, hinc ne incepta careant exitu & collegium dilata-  
batur, in id maximè incumbendum, ut videatur, **quomo-**  
**dio contrariantes invicem sententiae seu suffragia concili-  
entur, alternantis judicij dubitatio tollatur, & multitudo**  
ad unitatem & concordiam redigatur.

II. Duplex autem est concordia, una plena ac vera,  
quando scilicet omnes in idem unanimi ore ac voto con-  
currunt; Cùm autem universi, ut consentiant semper  
difficile, immò penè impossibile sit, propter naturalem il-  
lam hominum ad dissentendum facilitatem *l. 17. §. 6. de  
recep.*

recept, & qui arbitr. hinc altera locum habet, quando ad-  
est plurium consensus, & tunc si major pars consentiat, per-  
inde ac si omnes consentirent, reputatur. Quæ autem  
num ubique & omnibus omnino in negotiis, vel in quibus  
Iocum sibi vindicare queat, atque adeo etiam in causis Re-  
ligionis ut *Auctor Clavis Themologicæ* opinatur, id erit  
nunc indagandum, & pro Regula ponendum, quod in  
omnibus negotiis, quæ per plures aguntur, ea sit præferen-  
da sententia reliquis, quæ pluribus suffragiis nititur; eiq;  
Regulæ tamdiu est inhærendum, donec probetur contra-  
rium & solidæ dentur rationes exceptionum. Et hæc qui-  
dem regula probatur tam ex Jure Naturali, Gentium, quam  
Civilis, Canonico, Aurea Bulla, aliasque constitutionibus  
Imperii; ut optimè respondit Matthias Imperator in Co-  
mititis Imperii anno 1613. habitis. Es sollen durch die  
particular Ursachen die gemeine Deliberationes billich  
nicht gehindert werden/ in dem I. der Natur II. aller  
Völker Recht III. der gütlichen Bull. IV. denn Reichs-  
Constitutionen und V. dem richtigen Herkommen  
gemäß/ daß in dergleichen Berathschlagungen die  
Majora die wenigern an sich ziehen: Arum de Comit.  
cap. 8. n. 82.

III. Primum igitur, cui consentaneum sit, ut regu-  
lariter majora suffragia vincere debeant, est ipsammet  
*Natura*, ut patet ex sequentibus rationibus I. Cùm Ci-  
vitas eo tantum sine incatur, & summa rerum potestas in  
ea certis personis ob id solùm attributa sit, ut Jura singu-  
lorum sarta & recta permaneant, ad hoc autem obtinen-  
dum maximè necessarium medium sit, ut negotia expe-  
diantur, lites dirimentur, suum cuique tribuantur, & ita  
locum habeat illud *σύν κακός* (quod ad Civitatem requi-  
rit Aristot. Pol. 6.) ad quod efficiendum, ut ea celerius,  
feli-

felicius, minori invidia & strepitu, majori tranquillitate fi-  
 ant, haud ullum commodius remedium iuvenerit, quam  
 ut in collegio, ubi omnes aequali jure possent, suffragia ma-  
 jora attendantur, & id, quod illistatuunt, pro concluso  
 reliquorum habeatur; hinc hujus asserti veritas appetet,  
 cum naturale sit, constituto Jure & illud constitutum es-  
 se, quod necessarium medium sit, ad illud obtinendum;  
 arg. 1. 2. de Jurisd. 2. negotia aut secundum unum, aut  
 paucos aut plures sunt decidenda, quia contrarium non  
 datur, non autem decidi possunt secundum unum aut  
 pauciores, quia dissentientium pars major est, & nulla ratio  
 appetet, cur unus vincere debeat ex gr. decem &c: ergo id fieri debet secundum plures, cum oculi plus vide-  
 ant, quam oculus, & majori numero minor insit;  
 nec potest opponi, quod pauciora suffragia saniora esse  
 queant. Ubi enim omnium aequale jus est, nemo sanè  
 est, qui de eo judicare possit. 3. Sicut persona natura-  
 lis, si deliberat, inclinat semper ad illam partem, ubi plu-  
 res adsunt rationes, ita & Civitas seu Persona mystica in-  
 clinat in illam sententiam, ubi plura adsunt suffragia, quia  
 quicquid in corpore naturali sunt rationes, in hoc corpo-  
 re mystico sunt suffragia. 4. pro parte maiore etiam mi-  
 litat ratio Juris, quod ubi pars major sit, ibi & adsit ma-  
 jor perspicuitas & prudentia; singuli enim (ut benè Plini-  
 us in Paneg) decipere & decipi possunt, nemo autem omnes,  
 neminem omnes fefellerunt, & multi, dicente Aristot. 3. Po-  
 lit. 12. rectius judicium, quam singuli ferunt. 5. quilibet  
 majora vota pro se amplectitur, igitur ex Regula illa Juris  
 Naturalis, ut quod quis in alium statuit, eodem jure & ipse  
 utatur, aequissimum est, ut & illis acquiescat contra se;  
 ut haec optimè, ut omnia solet, deduxit JCtus incompa-  
 rabilis illustris Dn. Coccejus in Disp. de eo, quod justum est

*circa numerum suffragiorum sub Präsid. ejus habita à Fr. Mejero. Francof. ad Viadr. 1705.* ita utin hac re non sit cur laboremus & confugiamus ad presumtiones Magni Grotii de Jur. Bell. & Pac. l. 2. c. V. §. 17. desumptas ex intentione ineuntium societatem, & aliorum rationes alias.

IV. Secundum, unde Imperator in negotiis peragendis pluralitatem suffragiorum spectandam esse contendit, est *Jus Gentium* scil secundarium, sive quod hic mos ex necessitate & utilitate apud plures gentes in usu fuerit. Hebræos voluisse sequendam esse multitudinem, quæ retinūt absolvere, & liberare cupit, non tamen eandem si damnet, unico tantum voto superior existens, testatur Commentator quidam ad *Exod.* 23, v. 1. 2. 3. apud Athenienses id etiam observatum fuisse scribit Sigon. l. 2. de *Rep. Athen.* c. 3. & l. 3. c. 4. de Lacedæmoniis ex Plinio Nepote refert *Aërodius* l. 1. rev. judic. c. 21. apud Romanos lege cautum, M. Cælio teste, fuit, ut quod major pars judicaverit, id jus ratumque esset, Cicer. l. 8. Epist. ad famil. 8. v: Sigon. de *Antiq. Jvr. Civ. Rom.* c. 14. apud Græcos extat constitutio Theodosii, ut in diversis sententiis potior numerus vincat, l. un. *Cod. Theod. de Respons. prudent.* vindicit quoque pluralitas suffragiorum in Parlamento Galliarum Parisiensi supremo, Hottomann. *Franco-Gall.* c. 27. in curiis Regni Hispanici, Ant. Thesaur. *decif. 1. n. 1.* in supremo Lusitanæ Senatu, Anton. à Gama *decif. 1.* apud Venetos, Contaren. *de Rep. Venet.* fol. 48. apud federati Belgii Ordines, Paul. Merul. *de Stat. Reip. Batav.* fol. 155. apud Neapolitanos Math. de Afflict. *decif. 1.* in Senato Sabaudico, Anton. Thesaur. *decif. 1. n. 2.* imò & olim in Comitiis Germanorum id usu observatum fuisse, vult Nicol. Cusan. l. 3. c. 33. in *concord. Cathol.* hinc generaliter in Senatus deliberationibus, Polyarchicoque statu, atque in omnibus

V. Quapropter & *Juris Romani* auctores, ubi à pluribus decernendum quid est, majoris partis scitum approbant v. l. 19. ad *Municip.* l. 30. de *Re judic.* l. 17. §. 6. de *Recept.* qui arbitr. l. 3. quod cujusque univers. hom. l. 46. C. de *Decurion.* unde & inter *Juris Civilis* Regulas relatum est referri ad univerlos, quod à majore parte fit l. 100. §. 1. de *R. J.* consentit quoque *Jus Canonicum* v. t. t. X. de his que sunt à Maj. part. in cap. cum inter *Canonicos X.* de *Elect.* in cap. *Ecclesia vesbra X.* de *Elect.* & *Elect.* Potestat. in cap. quia propter X. de *Elect.* &c. huic & sententiae subscriptae sunt *Viri sapientes* alii, ut Thucidydes l. 5. κύριον εἶναι τοῦ τι τὸ πλῆθος Ἀγωνῶντας, Ariphoteles *Polit.* IV. νίκην τὸ τοῦ πλείστου δέξαντα. Livius l. I. c. 32. Inde alii rogabantur, quandogue pars major horum, qui aderant, in eandem sententiam ibant, bellum erat consensu fieri solitum. Curtius l. 10. Eo, quod major pars decreverit, stetut. A. Gell. *Noct.* Attic. dereo, septem judices cognoscunt, eaque sententia sit rata, quam plures de eo numero dixerint. Plin. l. 6. Ep. 13. singulis re integra dissentire fas est, peracta, quod pluribus placuisse, cunctis renendum: vide & Grot. de *J. B.* & *Pac.* l. 2. c. 5. §. 17. Puffendorff. de *Jur. Nat.* & *Gent.* l. 7. c. 2.

VI. Tertia Cæsaris ratio ex *Aurea Bulla* arcessitur, qua Cæsar per majorem partem Electorum, quo tamen nullum gravius negotium in deliberationem deduci potest, eligitur §. *prefatio* & §. *postquam* tit. II. de *Elect.* Rom. Reg. major autem pars hic censembit ea, l. quæ intuitu totius Collegii Electoralis major est, non intuitu eligentium. Si enim duo eligerent Titium, duo Cajum, tres Sempronium, tunc omnino nullus esset electus A. B. tit. II. §. *Q. B. a. f.*

aber Sie/ oder ihrer mehrvertheil ic. Sinolt. Schütz de  
*Jur. publ. vol. I. Exerc. 2. thes 15. lit.C.* II. major intelligenda respectu presentium Electorum, absentium enim non habetur ratio, et si non omnes vocati sint A. B. tit. I. §. 19. (mortuo scil. Cesare, non aliis casibus, Aut. Comit p. 2. n. 9.) Etsi enim non vocentur à Moguntino, tamen non potest dici, non vocatos esse, qui ab ipsa lege in casum mortui Imperatoris vocantur; vid. Limn. ad Capit. Ferd. III. art. 50. vers. der guldern Bull ic. vel non o. imps compareant A. B. tit. I. §. 21. & tit. 4. §. 2. vel non tempestivè tit. 2. §. 4. Quod si tamen majoris partis electio vel contra antiquam Imperii consuetudinem, vel in maximum Imperii præjudicium tenderet, haud improbabilitè dici potest, quod nullatenus major numerus attendi debat, Runcel. ad Am. Bull. Diff. 3. th. 8.

VII. Quarta ejusdem ratio fundata est in *Constitutionibus Imperii*, quæ exstant in sequentibus è multis allegatis Recessibus Imperii, Trevirensi de anno 1512. S. Es sollen ic. ibi oder der mehrer Theil auf Ihnen. Regimtents. Ordnung 1521. S. würde sich auch ic. ibi und deins so durch mehrern Theil beschlossen wird R. J. 1526. in princ. ib. und hennie so durch mehrern Theil beschlossen würde / Folge thun. R. J. 1559. S. diesen Beschwerden etc. ib. durch den mehrern Theil der Ständen R. J. 1594. S. da demn ic. ib. Solten aber paria vota &c. quibus & adstipulatur legitima obseruantia; quæ quinta Cesaris ratio est, & de qua nemo melius, quam ipse, attestari potest: vid. & Freher. in comment. ad Constit. Adolph. Nass. p. 14. qui plura de hoc Jure ejusve rationibus desiderat, consulat Bodin. l. 2. de Rep. c. 6. & l. 6. c. 4. Reincking. de R. S. & E. l. 1. cl. 5. c. 8. n. 59. &c. Limn. J. P. l. 9. c. I. n. 177. &c. Arum. de Comit. c. 8. n. 74. Carpzov. de Leg. Rego.

*Reg. Germ. c. 10. Sect. 8. n. 1. & alios in addit. Myler, ad Ru-*  
*meliu. P. 2. Diff. 3. th. 20. lit. a.*

VIII. Quamvis autem, ut nunc probatum est, regu-  
 lariter majora vota vincant, tamen sunt & quædam magni  
 momenti negotia, in quibus aliud obtinet, quæ paucis  
 proponeamus; Est igitur prima exceptio ab illa regula,  
 quando res ad universitatem, non qua universitatem,  
 sed qua singulos spectat, quæ cuivis, tanquam membro  
 Collegii inhærent; & quia ita singulos tangit, hinc ab  
 omnibus comprobari debet! f. C. de Auctōr. præstand. cùm  
 nemo ex facto alterius prægravari debeat, l. 33. §. 1. C. de  
 inoff. testam. & res inter alios acta alii non præjudicat l. 63.  
 de re judic. l. 27 §. 4. de Pac̄. nec alteri ius quæsิตum si-  
 ne ejus dispositione auferri queat. v. Myleri addit. ad Ru-  
 mel. part. 2. diff. 3. §. 20. lit. B. hinc patet & in Comitiis  
 Imperii majora locum non habere, si status, non ut unum  
 corpus spectari possunt, v. Limn. l. 9. c. 1. num. 187. & a-  
 lios Dd. apud Klock. Consil. 35. n. 307. num. 329. seqq. hinc  
 & decidenda esset intricatissima illa questio, an in colle-  
 ctis Imperii majoris partis suffragia prevalere debeant? id  
 assérer Reinking. de R. E. & S. I. I. cl. 5. c. 8. n. 72. negat  
 Wahremund ab Ehrenberg. de Regn. subfd. c. 5. n. 53.  
 Electores pluralitatem admittunt, ut & status Pontificii, si  
 prius justa onerum proportio sit determinata; Evange-  
 licis contra pluralitas placet in collectis necessarii non ve-  
 rò voluntariis, ubi periculum non est in mora, cùm durum  
 omnino sit: daß einer in des andern Beutel hinein  
 ein in infinitum votare / quod Electores & Principes Im-  
 perii Fisci Cameræ Imperialis An. 1598. oppofuerunt;  
 Civitates verò nullam planè pluralitatem admiserunt; v.  
 Limn. Tom. 5. in addit. ad. l. 9. c. 1. n. 182. hac de re in Co-  
 mitiis non modo An. 1608. & 1613. sed & in Conventu

Osnabrugensi acriter disceptatum fuit, cumque de ea re Ordines convenire non possent, ejus plena decisio in proxima Comitia remissa *Instr. Pac. art. 5. §. 52.* quid hactenus in iis actum sit, ex relationibus Comitalibus appetet; sufficit nobis indicasse, quid alii de hac quæstione sentiant, litem verò totam meritò in medio relinquimus; videantur Klock. de *Contrib.* c. 6. Aut. der *Grundrest.* p. 3. c. 7. Ziegler. de *Jur. Majest.* l. 2. c. 3. n. 10. & alii à Myltero in addit. ad *Rumel.* p. 2. diff. 3. n. 20. lit. B. allegati, ex hoc fonte & constitutum, ut in imperandis, augendis, prorogandis vestigalibus Electorum (quorum consensum requirit R. J. 1576. §. 116. *Wir sollen und wollen etc.*) & unanimis omnium & singulorum, non majoris partis solum assensus, imò & vicinorum ac eorum, quoram interest, statuum sententia adsit in *Cap. Leopold.* art. 21. *Joseph.* art. 20. v. & *Illustr. Dn. Cocceji Jurispr. publ. c. 23.* §. 44. *Dn. Schyveder in Introduct. in Jus public. part. spec. scđt. 1. c. 20. §. 3.* inde & patet, majoranō valere in tollenda lege fundamentali, auferendo jure quæsito vel privilegio; hoc ultimumenim Imperantes subditis merè talibus auferre nequeunt, quanto minus major imperantium pars voto suo id auferre poterit. v. *Limn.* l. 9. c. 1. n. 185. Klock. de *Contrib.* c. 6. n. 145.

IX. Alia exceptio, ubi majora non respiciuntur, est in iis Collegiis, ubi quisque Jus agendi habet in solidum; hic enim non potest spectari pars major vel minor, nam ubique Jus in solidum competit, ibi ille tantundem Jurius habet ad prohibendum, quam hic ad agendum, cum unus alterinon subjiciatur, sed unus æque Jure summo gaudeat ac alter, ut id obtinere soler in Rebuspl. ex plurib' constantibus membris, ut Helvetica, quod ex infra dicendis apparebit, & Belgica de qua ita testatur Temple, dans

ſes

*ses remarques sur les Provinces Unies : Chap. 2. pag. 88. Il y a plusieurs choses, qui ne peuvent pas être conclues dans les assemblées des Etats de la Province à la pluralité, mais seulement du consentement unanime de toutes les voix.*

X. *Alia quoque exceptio, ubi majora non attenduntur, est, quando iis Collegii membris, quae Jure convocari debuissent, conventus non fuit nuntiatus, licet enim iudicium sit penes senatum ut corpus, ubi non singuli sed corpus dijudicat, quod repræsentatur à præsentibus; tamen iniquum est, absentes juribus suis, quibus ignorantes renunciassent edici non possunt, citra culpam privari, ut proinde hoc in casu & aëtus totus nullus sit, & hinc nec major pars quid concludere valeat; an autem Electio Imperatoris omnibus Electoribus non citatis annuletur, vid. distinctionem suprà thes. 5. hoc autem obtinet, ubi collegium, non singuli judicant, hinc aliud dicendum de Judicibus delegatis & arbitris, ubi majora nihil efficiunt, licet omnes citati sint, sed non comparuerint; quia omnibus est commissum arbitrium; tamen si omnes adsint, tunc pluralitas votorum obtinet l. 17. §. f. de recept. qui arbitrii, de quibus omnibus vide elegantissimam & peregritudinem supra §. 3. laudatam Diff. Mejeri sub Praesidio Illust. Dn. Cocceji habitam.*

XI. *Exceptio autem maximè notanda est illa, ut majoribus suffragiis standum non sit in iis negotiis, quando facultas ea decidendi, non est penes collegium, uti sunt, quae Juri Divino & Naturali contrariantur, cum nec illis verita juberi, nec illis iussa vetari possint; illo enim obligari etiam summas Potestates nemo sanæ mentis negabit, & hoc etiam potentius esse ipso Principatu patet ex eo, quod Apostolus Legem Naturæ vocat similiqua rū oīū, Rom. 1, 52. licet enim ex principiis homini internis profluat, Deo tamen*

tamen adscribitur, qui, ut illa principia in nobis existerent, ipse voluit, eaque cordibus nostris inscripsit *Rom. II, 14.* cum igitur illa sint extra facultatem concessam, hinc illae potestates nullum Jus habent de iis disponendi, cum illis subjiciantur; ut enim in naturalibus causis inferiores in agendo à superioribus dependentes, contra superiorum efficaciam, vim agendi nullam habent, ita etiam in moribus; quare nec attendi possunt majora eorum vota, sed negotium & quod geritur, ipso jure est nullum. Huc & referenda est causa Religionis, de qua ceu Themate Dissertationis nunc agendum erit.

XII. Cùm in omni societate id requiratur, quod ad ejus defensionem & conservationem facit, & illa haud facile obtineri queant, nisi aliquis sit ordo, & discrimen inter imperantes & parentes, hinc pater & Ecclesiam, [cujus vinculum Religio dici potest] regimine & Politia, ceu religiosam quandam societatem carere ægrè posse; Est autem illud Regimen, juxta Celeb. nostri Theologi *Heideggeri p. m. Medull. Medull: Theolog. Loc. 27.* vel principale, vel ministeriale; illud est penes Salvatorem nostrum *Christum*, qui Judex, Legislator & Rex noster est, *Esaï. 33, 22.* & caput corporis Ecclesiae *Col. I, 18.* hoc ministeriale, seu quo Deus Ecclesiam, hominum ministerio gubernat, rurus duplex est, aliud enim est Ecclesiasticum, aliud Civile: Ecclesiasticum ministerium dari, probat expressa Dei institutio, qui tum in Veteri, tum in Novo Testamento Ministros sacros partim ordinarios, partim extraordinarios vocavit; cum enim Deus benignissime voluit per prædicationem Evangelii homines ad salutem vocare, opus habuit ad hoc doctrinā & institutione, quæ non alius unde, quam ex Verbi Ministerio haberri potuit; Sic in Veteri Testam: ordinariis Ministris accenseri merentur Patriarchæ,

chæ, Seniores, Primogeniti & in eorum locum surrogati Levitæ, Sacerdos primus, Sacerdotes reliqui, & extraordinarii Prophetæ; in Novo verò Testamento sunt ordinarii, Pastores, Seniores, Doctores, Diaconi, extraordinarii autem sunt Apostoli, de quorum officiis & aliis huc pertinentibus plura hic afferre consultum non duco, cùm nō sit nostri fori, & multi Celeb. Theologi hanc materiam multis & magnis scriptis illustrarint, quo B. L. remittimus, & nunc ad aliud ministeriale Ecclesiæ Regimen, nempe Civile pergimus.

XIII. Alterum ministeriale Ecclesiæ Regimen est Civile, quod competere illi, qui summam Potestatem summumque Imperium in Territorio habet, & in personas & in res Ecclesiasticas in illo comprehensas ex sequentibus clarum fiet. Summam enim hanc potestatem Deus expressis verbis *Gen. I, 28.* humano generi concessit, in ipsam terram universam & singulos homines in ea existentes; illudque genus necessariis ac sufficientibus ad illam exercendam instruxit facultatibus; concessa autem est illa potestas non uni solum, quia facultates ad illam datæ sunt aequaliter: nec pluribus, quia eadem ratio in pluribus ac in singulis, & non apparet, quinam illi plures sint, ergo omnibus, quia quartum non datur inter unum, plures & omnes; ut ita hi in societate hac naturali jus habeant in singulos, nullis (ergo nec Clericis,) exceptis. Quia verò genu humandum totum non potuit exercere hanc potestatem in singulos, hinc commodè factum est, ut divideretur illa potestas, & hac divisione facta, clarum est, populos singulos, sive qui eos rephant, Jus habere in suos, quod antea omnes habuerunt in singulos, unde non magis Clerici cum illis coherentibus juribus & ad eos spectantibus rebus ab hoc territorii, quam ab ipsis humanæ societatis

C

jure

jure excepti esse possunt; præcipue cum juxta Plutarchum,  
 Religio sit *aventuræ ardore novariorum regi quoq[ue] deitas* *egregia COA-*  
*gulum omnis societatis & fundamentum legis lationis, &*  
*Ciceronæ*, fundamentum humanae societatis, quia metu Dei  
 animos civium omnium optimè continet, eos placidos  
 obsequiosos, Patriæ amantes, juris & æqui retinentes effi-  
 cit, dum scilicet & futurum post hanc vitam tribunal incul-  
 eat, ubi occultè patratorum à quovis sint reddendæ ratio-  
 nes; ita autem animatis civibus non possit non salva esse  
 Respublica, cuius administratio ad summam potestatem  
 pertinet; Huic Juri & consentit Jus Divinum, tum Verus,  
 tum Novum; de illo patet ex *Levitico* passim, ubi Aaron  
 summi Sacerdotii leges à Mose accepit, immo & illum  
 Mosis Imperio se subducere volentem Deus ipse illi subjecit  
*Num. XII. 8.* Regibus quoque Hebraeorum sacerdotes pa-  
 ruisse, eosque rerum Ecclesiasticarum curam egisse patet  
 ex Historia Saulis, *I. Sam. XXII.*, *II. Davidis cultum Dei*  
 constituentis *I. Paral XVI.* ordines Sacerdotum determin-  
 tantis c. *XXIII.* seqq. Salomonis, Sacerdotem Abiathar  
 ab officio removentis, *I. Reg. II. 26.* quod & horum p[ro]i  
 successores egerunt, ut Cunæus de *Rep. Hebr. I. x. c. 14.* scri-  
 bit, *Præfecturam sacrorum, summamque potestatem &*  
 judicium pertinuisse ad Reges; quos & (non verò Clericos)  
 Deus ipse Deos nominando suos Vicarios fecit *P. LXXXII.*,  
*I. 6. Exod. XXI. 6.* Eadem quoque potestas Principibus tri-  
 buitur in Novo Testamento, ita enim Paulus *Rom. XIII. 1.*  
*Omnis anima* (ergo & Clerici) *subjecta si Potestatibus*  
*ὑπερχούσαν & v. 4. Dei Ministrum* vocat Principem, *in bonum,*  
 qualecunque scilicet quo ostenditur in id institutos esse  
 Principes, ut vitam quietam & tranquillam degamus, non  
 tantum in omni honestate, sed etiam in omni pietate, *I.*  
*Tim. II. v. 2.* *Si autem male feceris, vindicem ad iram, ubi*  
*mali*

mali nomine comprehendendi etiam omne, quod circa sacra  
committitur clarum est, cum indefinita locutio hic tan-  
tudem valeat atque universalis; quod & Petrus manife-  
stis verbis innuit *I. Epist. II, v. 13.* subiecti igitur estote, dicit  
*omni humanae potestati, dispensationi uriae, quia hac est voluntas Dei: v. 15.* & quia Regi (non Pontifici) summa potestas  
competat, vocat enim illum *magister Kovad. v. 13.* immo Chri-  
stus ipse Rex Ecclesiae suae, dum in terris degeret, sine ulla  
contradicione, seculari potestati se submisit, solvendo ve-  
ctigalia *Mash. XVII, 27.* u. aliis allegationibus supersedea-  
mus, vide *Grot. de Imp. summ. potest. circa sacra cap. I.*

XIV. Hanc igitur Deilegem, & voluntatem secuta  
est Ecclesia, idque longo tempore, nam Imperatores  
omnes Imperii partes circa sacra exercuisse patet præcipue  
ex *Socrate Historico l. 5. præf.* ubi dicit: *Ex quo Imperato-  
res facti sunt Christiani, res Ecclesiæ ab illis dependisse,* ita  
ut merito Pontifex Innocentius IV. in hæc eruperit verba  
*e. si quis 2. n. I. X. de Majorit. sed quares, quis extinxit Cleri-  
cos de jure Imperatoris, cum prius ei subfessent?* Sub Romanis  
autem & Gentilibus Imperatoribus Clericos privatos  
fuisse, & nullam potestatem habuisse, nemo ut credo, est  
qui inficias ibit; immo & sub successoribus horum Christianis &  
Latinis & Græcis, Gothis dein, & Germanis, immo &  
in aliis Regnis idem obtinuisse, quā luculentissimè probat  
*III. D. Coccejus in Diff. de Fundata in alieno Territorio, &*  
*plurium locorum concorrente Potestate: tit. III. §. 9. & seqq.*  
addo solum quod & in alma Patria mea Helvetia impri-  
bata fuerit Clericorum potestas, & nunquam Helvetiæ de-  
fuisse, qui Papæ & Clero Romano resisterent atque relucta-  
rentur, hinc excommunicationum Pontificiarum licet  
frequentium, fulmina magno animo contempserunt ex-  
tentio nem Clericis maneribus & oneribus civilibus semper  
ferè

ferè oppugnarunt, inque Clerum delinquentem graviter quandoque animadverterunt, ita Ao. 1230. cum Magistratus Tigurinus Urbem suam, muris turribus &c augere vellet, Clerum & ad onera & ad operas adegit, imò & Monachis mandavit, ut omnes suas amasias, quocunque nomine in Monasteriis degant, exire faciant magno cum illorum dolore. Ao. 1240. Civitate Tigurina à Papa, quod Friderico II. fidelis maneret, excommunicata, cum Clerus civibus sacra administrare nollet, omnes Urbe ejecerunt, & Sacerdotes, & Monachos, & Moniales; ut & Ao. 1331. cum de novo, ob fidelitatem Imperatori Ludovico Bavaro p̄stitam Papa eos excommunicaverit, rursus eos, exceptis Nudipedis, migrare jussérunt & Ao. 1349. dénum rursus repererunt; præsertim autem notandum venit Edicatum sex Cantorum A. 1370. *Pfaffen-Brieff* vocatum, vi cuius Clerus illis juramentum fidelitatis p̄stare debuit, ita ut hoc omnia alia ab illis p̄stita juramenta antecedat, ne aliud forum nec Ecclesiasticum nec seculare extra Helvetiā querant, exceptis causis matrimonialibus & Ecclesiasticis; de aliis editiis occasione munera Ecclesiasticon nundinatorū (Curtisanos vocabant) & aliorum Cleri abusu, vid. *Historiam Ecclesiasticam Helvetiā*, Viri Reverendi atque Clarissimi, D. Job. Jacobi Hottingeri, S.S. Theol. Prof. in Athenaeo nostro meritissimi, Fautoris ac Præceptoris mei ætatem colendi.

XV. Non tantum autem Personæ & res Ecclesiasticae subsuerunt summae Potestati, inter illos populos, quibus Deus voluntatem suam expressis verbis revelavit, sed & apud alias Gentes, ἀναρχίᾳ illa Clericorum inaudita fecerunt; Ægyptii enim, primi Sacerdotum Autores juxta Herodot. l. 2. c. 2. Cives suos distinxerunt in Sacerdotes, milites & operarios Bodin, de Rep. l. 3. c. 8. Macedonum Rex Alexander

21

Alexander M. improbavit ingentem honorem illum Ju-  
daeorum Pontificis Jaddonis; *Joseph. antiq. II. c. 8.* Græ-  
corum fere singulæ civitates variis usæ sunt sacræ, quibus  
unum ex Civibus præfecerunt: vid. *Jonston. de Peſt Grec.*  
*Romanorum. Rex Numa Pompilius Pontifice maximiū*  
*constituit, Liv. I. I. hisp. c. 20.* Germanorum Sacerdotes  
pars Senatus, ministriique silentii injungendi fuerunt. Tacit.  
*de mor. Germ. c. II. de aliis Gentibus v. Cæsar. I. 6. de Bell.*  
*Gall. Berthault. in Flor. Gall. I. I. c. 4.*

XVI. Probato igitur Clericos & res Ecclesiasticas Ci-  
vili potestati subesse debere, ex Jure Naturæ, Divino atque  
Gentium secundario, paucis adhuc demonstrabimus nec  
reliqua Jura huic asserto contrariari, & de Jure Civili qui-  
dem nullum est dubium, cum publicum Jus, quod ad sta-  
tum Reip. pertinet, consistat in sacræ & sacerdotibus *I. r.*  
*§. 2. de J & J. hinc & priores 13. Tituli lib. I. Codicis ni-*  
*hil aliud ferè tractant, qua m de religione, ejusque Doctri-*  
*na & cultu, de Ecclesiis, Episcopis, Clericis, Hæreticis, co-*  
*rūmque testamentis, contractibus, bonis, officiis, delictis,*  
*poenis, & omnibus eorum Juribus; imò & de Jure Ca-*  
*nonico id verum esse ex multis textibus clarum est, quo-*  
*rūm saltem unum aut alterum allegabimus: Sic in C. Sa-*  
*cerdotibus 41. cauf. XI. qu. 1. Pontifex petit, ut Imperator*  
*ex terrena Potestate ita dominetur Sacerdotibus, ut propter*  
*eum, cuius servi sunt, debitam etiam reverentiam impen-*  
*dat; Sic in c. principali 15. ead. dis. 63. dicitur sacram*  
*(Epistolam) Clementissimi Principis præcepisse Presbyterum*  
*&c. fieri debere, ut & c. 17. ead. Pontifex ait; Imperato-*  
*rem & Augustam per literas ipsi dixisse, quod debeat Episco-*  
*pum facere, & se fecisse &c. possem & hic afferre Conciliorū*  
*de hac re decreta, ubi in Concilio Turonensi Ao. 813. ha-*  
*bito, Episcopi cunctos, qui interfuerunt, admonuerunt.*

ut obedientes Imperatori (Carolo M. scil. quem & Concilium Moguntiacense vera Religionis rectorem vocat) & fidem ei promissam, inviolabiliter conservent; Lehm. Chron. 2, cap. 41. in pr. Sed cum id jam satis probatum esse sparem, tantummodo quædam adhuc in medium proferam, ex quibus perspicuum erit Clericorum potestatem & improbatam fuisse summis inter Pontificios Theologis, Juris Consultis, Politicis &c. Sic ap. Priol. de Reb. Gall. l. 10. in fin, unus ex Ecclesiæ Romanæ Cardinibus, Mazarinus Cardinalis, fatetur, nulli Pontifici jus in Reges, sed paternum amorem esse debere, ita Franc. Victoria in Relect. de Potestate Eccles. sect. 7. §. act. propos. dicit: *Principes posse servare proprias Republicas, non solum per modum defensionis, sed & auctoritative.* Cui ad stipulatur Petrus de Ferriis Juris Consultus: dum in Praet. Papal. ridiculum dicit esse dicere & abominabile audire, Papam in ipso Imperatoris niti superioritatem habere &c. plurade hac materia, qui desiderat, aeadat Grot. de Imper. summ. Poteſt. circa sacra. c. 1. & Illuſtri. D. Coccejum in citata Differt de fundata in Territorio Poteſtate.

XVII. Vidimus haec tenus Ecclesiæ ministeriale Regimen aut Ecclesiasticum aut Civile esse, superest igitur, ut & de utriusque potestate agamus, quod ut meliori ordine fiat, cum Illuſtri. D. Coccejo in Jurispr. publ. C. 18. imprimis notandum putamus distinctionem Juris & Virtutis, quæ in eo differunt, quia Jus tribuit cuique suum, versaturque circa meum & tuum, Virtus autem tantum circa rem nostram, & perfectionem animi, tribuitque alteri, quod nostrum est, non quod alterius, hinc ex Jure nascitur obligatio, idque necessitatem quid faciendi imponit, ad quod homines compelli possunt. At hæc respectu hominum locum non habent in virtute, & omnis ejus ratio, docendo,

cendo, moniendoque obtinetur; vid. *Diss. Frider. Reinh.*  
*Flad de Distinctione Juris & Virtutis Gießae 1698.* habit.  
 Juris itaque exequendi munus suā natura cogēndi jus ha-  
 benti, & superiori competit, virtutis autem docenda &  
 monenda etiam privatū, quos inter & Clericos esse *§. 14.*  
 satis demonstrat, & in hoc consistit utriusque potestatis di-  
 stinctio ut altera possit compellere, altera tantum mōnere  
*Joh. 18. v. 35.* ad quā igitur in rebus Ecclesiasticis quis vi  
 adigi & cogi potest, ea ad Regimen Civile, quā autem  
 solum docerimōnerique possunt, ea ad Regimen Eccle-  
 siasticum pertinere, & quānam illa sint, nunc dispi-  
 cimus, initium faciendo ab his posterioribus.

XVIII. Cūm Vicarius gerat vices ipsius commit-  
 tentis *l. 10. de Jurisdictione.* & non plus potestatis esse possit in  
 Vicario, quām in committente hinc facile patet, Clericos,  
 qui ceu Vicarii Christi officium suū gerunt, non majori  
 potestate gaudere, quām ipsemē committens Servator  
 Christus; Hic autem quicquid secularis Regni est, penitus  
 a manere suo separat *Job. XVII. 36.* inquit cum eum Re-  
 gem facere veulent fugiebat in montem *Job. VI. 15.* & do-  
 cendi monendiq; fines nunquam excessit, hinc & adulterā  
 illam solum monuit, non de ea judicavit *Job. VIII. 11.* con-  
 trā autem se potestati seculari subiecit, *Matth. XVII. 27.*  
 illumque secuti sunt Apostoli ejus, ad quos dixit: *Reges*  
*Terra imperant; vos autem non sic.* *Matth. XX. 25. 26.*  
 hincque & hæc duo optimè sejungit Petrus *1. Epist. V. 2. 3.*  
 his verbis; *Pascite Gregem Dei, & inspektionem, non cum*  
*necessitate, sed cum libertate exercete, non lucri, sed affectus*  
*causâ;* Non ut prædominantes propriis, sed ut existentes exem-  
 plar gregis; quod jam in Veteri Testamento obtinuisse te-  
 statut, *Cunatus de Rep. Hebr. l. l. c. 14.* inquiens: *Quemad-*  
 mo-

modum Praefectura sacrorum, summaque potestas & iudicium ad Reges pertinuit, ita ministerium, curatio, eorum ad Levitas, hoc est ad Pontificem Sacerdotesque &c. Competit igitur Clericis, Regimen suosorum, quod in sacris literis venit nomine Potestatis Clavium, quæ Matth. XVI, 19. ligare & solvere dicitur & à Christo ipso illis concessa est, qui & gradus correptionis & contumacium separationis Matth. XVIII, 15. &c. præscriptis; de quibus alii præsterim Theologiconculendi.

XIX. Videamus nunc, quomodo se habeat potestas Magistratus circa sacra, qui per potestatem sibi à Deo concessam Regno Christi invigilare, inservire, atque illud amplificare, quantum potest debet, ut sit Ecclesia gerulus & legis Divinae custos, Esa. XLIX, 23, ubi statim notandum, quod ille nullam potestatem habeat circa Religionem formaliter Ecclesiasticam, & sacra in se spectata, quæ principaliter ad salutem æternam ita pertinent, ut nullum ex iis periculum in Rep. metui posse, cum potestas hæc tota spiritualis sit; ut sunt ipsa doctrinæ coelestis fideique talvificæ capita &c. sed quod illorum facultati solum illa subsint, quæ ad salutem Rœp. & civilis Imperii curam spectant, vel quicquid de cultus divini exercitio rebusque Ecclesiasticis ita statuitur, ut Cives ad id adiugeant; hinc imprimis prospiciendum est summa Potestati Civili, ne Atheismus sese ingenerat in Rœmp. cum nulla gravior Rœp. pestis esse possit Atheismo, & melius sit habere Religionem falsam quam nullam, cum pietate sublata, fides etiam & societas humani generis, & una excellentissima virtus Justitia tollatur, Cic. I, 1, de nat. Deor. ut Sil. Ital. IV, optimè canat,

Hen

*Heu prima scelerum causa mortalibus egris,  
Naturam nescire Dei.*

Non solum autem hoc in casu summa potestas curare debet, ne Resp. quid detrimenti capiat, sed & si Ecclesia varietae dogmatum distrahatur, & varii varia pro voluntate Dei obtrudere conentur, cum ita & animi Civium distrahanter, & variae orientantur factiones, discordiae, motus, & que cum tempore in excidium Reipl. erumpere possunt, hinc omni ope nisi debet, ut haec dissensiones per summos & in Religione Christiana exercitatissimos Theologos, aut aliis mediis legitimis componantur, & si possibile est, una Religio in suo Territorio obtineat, cum hoc ad uniendos Civium animos optimum vinculum sit; ita ut Philippus Hispaniarum Rex satius esse (quamvis infelici successu) censeret, regno carere, quam Populo alienis & diversis sacris addicto imperare, dum diceret; *Che amava meglio di non essere Re, che hauer Popoli Soggetti ad altera Religione, che à la buona & la sua;* Gio. Battist. Adriani. l. 19. della storia de' suoi tempi. Hujus rei gratia, cum per haereses & falsa dogmata publica plerumque turbetur tranquillitas, & ad illa tollenda optimum medium sit, ut in Concilio aut Synodo dispiaciatur, quænam sanior sit sententia, hinc & summæ potestati, (cui curæ esse debet, ut iis, quæ Rempubl. turbant, mature occurratur) potestas competit ut talia Concilia possit convocare, disponere, si è re est, transferre in illis decreta confirmare, promulgare, vimq; adeo & autoritatem illis tribuere, cum haec nemo facere queat, nisi qui vim coactivam habet, (qualis solus est imperans) ut cogere possit tum alios, tum & heterodoxos, ut in Concilio compareant, & ut congregatos, si aut nimis um affictibus indulgeant, aut turbas moveant, coercere, & in officio continere possit, & hoc olim in usu fuisse probat

D

Grot.

Grot, de Imper. summ: Potest. in sacr. c. 7. sed & sine Con-  
cilio decernendi facultas competit summae potestati, si  
quaestiones oriuntur de iis, quæ indifferentia, & verbo.  
Dei jam definita sunt, ne quicquam orthodoxæ fidei ad-  
versum docetur, cum si hoc non posset sequeretur, quod  
Jus imperandi aliquid acciperet à Concilio, quod tamen  
summitati illius repugnat.

X X. Porro huc refertur Jus reformandi, sed tam-  
tum in extrinsecis, quæ solum in cultu externo consistunt,  
quoad autem ipsum Religionis exercitium, non nisi con-  
sentientibus civibus, cum capita fidei non subjaceant arbitrio  
hominis, ergò nec Principis, & Princeps constitutus sit,  
ad tuendum, non destruendum præsentem Repl. statum,  
vid. Illustr. Dn. Coccei Jurispr. publ. c. 18. §. 29. non ve-  
rò erroneous exiliis, poenis, tormentis ad suam Religionem  
cogere potest, quia nihil tam voluntarium ac Religio, &  
melior est Religionum multitudo, quam carnificina cor-  
scientiarum illa habet superstitiones, hæc Atheos; illa  
plures divini Numinis habent cultus, hæc nullum, sed ope-  
ram dare potest, ut vera Religio propagetur, non vi sed  
Elenchis, orationibus persuasionibus, ad quod fideles Ec-  
clesia ministros constituat, qui subditos, in vera Religione  
informent, docentes & discentes protegat, & subditos adi-  
gat, ut in illis locis, ubi informandi sunt, compareant.  
Ad summam potestarem quoque pertinet de iis omni-  
bus prospicere, quæ ad exercendam in Repl. religionem  
faciunt, hincque ad exemplum piorum Regum V. T. et  
iam leges & constitutiones Ecclesiasticas, quas vocamus  
*Kirchen Ordnungen*/ faciat, sed de rebus indifferenti-  
bus, & in sacris nondum determinatis, ut ex gr. quotem-  
pore sacra sint peragenda, qui ritus observandi &c. ad  
quæ in consilium adhiberi possunt Ecclesiasticae Personæ.

Hinc-

Hincque & sumptus necessarios suppeditare debet, quibus  
 ædes sacræ, & quæ eo pertinent, conficiantur & reficiantur,  
 & quibus Ecclesiæ Ministri vitam traducere queant; in  
 quorum Doctrinam & vitam quoque inquirere potest per  
 visitationes Ecclesiasticas, ut omnia ritæ & decenter fiant;  
 hinc & eo spectant quoque scholarum erectio & conser-  
 vatio, ministrorum Ecclesiæ electio & vocatio, nec non  
 inspectio bonorum Ecclesiasticorum, ne ad usus profa-  
 nos & illicitos adhibeantur, ut & alia, in quibus omnibus,  
 juxta Celeb. Theol. Coccej, *in summ. Doctr. Fæder.*, c. 24.  
*§. 537.* necessarium est, ut si qui homines aut collegia  
 habeant concessam aliquam potestatem positicam à po-  
 pulis, civitatibus, patribus, quæ pertinent ad bonum & de-  
 fensionem Ecclesiæ, ut diligentissimè caveant, ne eam  
 potestatem inferant in causam fidei & cultus Dei, ut legem  
 faciant dicendi vel taceundi, agendi vel non agendi præter  
 verbum Dei; vide Grot. *de Jure summar. Potest. circa sa-*  
*cra Reinking. de Regim. Ecclesiast. & Civil. Tabor. in Dis-*  
*sert. Acad. de Regim. Imper. Ecclesiast. Rhet. de Jur. Stat. Imp.*  
*circum sacra. Dn. Schweder. Introd. in Jus publ. P. Spec.*  
*Sect. 1. c. 5. &c.*

XI. Cùm ita, ut spero, satis clarum sit, quoisque  
 utriusque & Ecclesiastici & Civilis Ecclesiæ Regiminis  
 Potestas se extendar, nunc videndum erit, *an pluralitas vo-*  
*torum & in causis Religionis obtineat?* quod negandum  
 putamus, vid. supra thes. X. cum ibi, quid cuiusque con-  
 scientiæ & fidei satisfaciat, queratur & quilibet nostru-  
 de se ipso & de suis actionibus rationem reddere debeat  
 Deo. *Rom. XIV, 12.* illaque cuivis examini subjacent,  
 cum ab Apost. *Johann. I. Epist. IV, 1.* moneamus probare  
 Spiritus, *an ex Deo sint*, hincque judicia aliorum hisce in  
 causis attendere opus non sit; dein quod majora vota vin-  
 cant,

cant, tantum obtinet in rebus civilibus, quæ societatem civilem concernunt, à quibus toto cœlo differunt causæ Religionis & conscientiae, quæ in solius Dei potestate, & ex ejus verbo tantum judicandæ sunt. Imo ingens hominum foret audacia, de rebus, quæ arbitrio hominum non subjacent, per majora quid velle constitutere, & gratia divinæ negotia secundum opiniones hominum metiri, cùm licet omnes ita judicarent tamen conscientia mea non possit esse satis certa & secura de veritate hujus vel illius rei, nisi convinceretur ex ipso Verbo Dei; accedit præter suspicionem partium & id, quod res hæc foret inanis cum nullum dubium sit, quin unusquisque sit latus sententiam in favorem Religionis suæ; quod verum obtinet non solum in causis, quæ directè Religionem concernunt, sed & ob easdem rationes, & tunc cùm per indirectum de Religionis negotio quæstio oritur, aut ubi diversæ Religionis præjudicium & zelus præponderare potest juris æquitati, ut si inter diversæ Religionis socios, de eo lis sit, quod ut fiat vel ne fiat, alterius partis interest, hinc æquissimum est, in hisce negotiis unanimem consensum expectare, cum, (ut Philippus Magnanimus Hassia Landgravius Granvellano respondisse, dicit Sleidan. l. 17, §. 112.) in fidei negotiis non est considerandum, quid maxima pars opinetur, sed quid verum sit, exemplo Hierosolymitani conventus, ubi maxima pars paucorum Apostolorum judicio, quod rectum erat, cef- fit & obtemperavit, Act. XV. quod & ursit Protestantium Orator Pontanus apud Sleidan. l. 3. & in Concilio Tridentino Bellejus Episcopus Parisiensis contra Cardinalem Paulum Æmilium Verallum, Episcopum Capitaquensem Svay, Polan, in Histor. Concil. Trident. l. 6.

XXII. Qua de causa & in Comitiis Imperii hæc cau-  
ſe Religionis excipiuntur, ut nempe pluralitas votorum  
in illis nihil valeat, & ut amicabili ratione transfigantur,  
cum alias una pars simul partis & judicis locum obtineret,  
cum Pontifici Protestantes numero vincant, hinc extat  
in R. I. 1530 in fin, und eines jeglichen Gurdünken und  
Meynung sich selbst in Liebe und Güttigkeit zuhören/  
und zuerwegen/ die zu einer Christlichen Warheit zu/  
bringen/ und zu vergleichen / nempe nach Götlicher  
und der alten Vatter Heil. Schrift und Lehre R. J.  
1545. §. und sollen / & in R. J. 1555. §. 15. und soll die  
streitige Religion nicht anders dann durch Christo/  
freund / friedliche Mittel und Weg zu einhelligem  
Christlichem Verstand und Vergleich gebracht werden.  
prout & respondebat Imper. Rudolph. II. in Comitiis Ra/  
tisbon. 1598. daß die Sachen / so den Religions-Frieden  
belangend/ nummehr nicht / wie andere Sachen / son/  
dern durch sondere Räthe tractaret werden ; Als die Cat/  
holische haben einen besondern Rath / die Protestiren/  
den auch einen besondern : hinc & pars adverfa ad gra/  
vamina Evangelicorum in Comitiis Ratisbon. 1613. daß  
der ander Theil im Fürsten-Rath die Majora in Sa/  
chen den Religions-Frieden betreffend ohne Zweifel  
vor sich hat / respondit ; Man wisse wohl / daß in Ge/  
wissens-Sachen die Majora nicht gelten. Die Catholi/  
sche Religion und die Augspurgische Confession / wie  
auch der Religions-Frieden seyn auff güttliche Vergleis/  
chung zugelassen / wider dieselbe thäten Majora nichts.  
vid. Arum. de Comit. C. 7. n. 08. 74. quod & in Pacific. Ol/  
naburg: post multas Disputationes decisum est, art. 5. ubi  
conclusum pluralitatem non attendi debere in negotiis  
Religionem sive directe, sive indirecte concernentibus, in-

ter status utriusque Religionis agitatis d. art. 5 §. 51.  
ut & in omnibus aliis causis , quibus utriusque Religionis status in duas partes eunt: ib. nec non si circa transactionem Passaviensem Pacem Religiosam , & Instrumentum Pac. Osnabrug. quid dubii incidat, aut ex causis illam Pacem tangentibus resultet d. art. 5. §. 49. vid. Aut. der Grundvest. v. 3. c. 8.

XXIII. Quin & illud diffidium religionis in Imperio fecit, ut, cum in supremis Imperii Tribunalibus Judices & Assessores sint diversæ Religionis, & quilibet suæ sectæ hominibus magis, quam adverſe in juri dicundo favere præsumatur, post multas contentiones placuerit, etiam in causis Justitiæ non possit non pluralitas votorum attēndi , saltē Præsides , Assessores & quoscunque Justitiæ Ministros, evitandæ finistræ opinionis ergo pares numero utriusque Religionis esse debere, vid. Instr. Pac. Osnabrug. art. 20. §. 53. Idem etiam in Judicio Aulico obſervari debere cautum ib. §. 54. quamvis id nondum fuerit factum. Ex eadem ratione introductum, ut in conventibus Imperii ordinariis numerus ex utriusque Religionis Proceribus æquetur R. J. 1654 §. 194. d. Pac. Osnabrug. §. 51. Et si extraordinarii Commissionibus negotia in Imperio expedienda, quæ status Protestantes concernunt, soli eidem Religioni addicti deputentur & vice versa d. §. 51. Quid fuerit desideratum à Protestantibus statibus in hac causa videatur apud Fritsch. in Elect. Jur. Publ. Tom. I. cap. 8. vid. de hac materialatè Reinking. de R. S. & E. l. 3. cl. 1. c. 4. n. 20. & cl. 5. c. 8. num. 70. Limn. enuel. l. 4. c. 72. n. 48. Sinold Schütz in Coll. Jur. publ. Disp. 10. th. 15. lit. A. Carpozov. de leg. Reg. Germ. c. 10. sett. 8. n. 5 & alios.

XXIV. Præmissis igitur hisce, ex quibus satis, ut spero, patet, in causis Religionis majora suffragia locum

non

non habere, nunc adhuc videndum erit, quid contra  
hanc generalem Regulam in Patria nostra obtinere ve-  
lint quidam, & quibus hanc suam sententiam argumentis  
confirmare conentur; Ut autem, rem ab ovo, ut ajunt,  
paucis deducamus, notandum seculo jam III. præsertim  
occasione Dispersionis Legionis Thebaicae cimmerias  
Gentilissimi tenebras è Castris Helvetiæ pulsas fuisse vid.  
supra laudat. D. Hottingeri *Histor. Eccles. Helvet.* P. I. l. 2.  
& Helvetios multis in locis simplicitatis illius primævæ,  
quæ ab incunabulis Prædicationis Evangelii inter illos ob-  
tinuit, tenacissimos aliquandiu fuisse atque studiosissimos;  
unde & novitatibus paulatim emergentibus, dum Præsul  
Romanus cum vi tum astutiæ Vicariatus Christi prætextu  
eo annis est, ut omnis in toto orbe Christiano circa Reli-  
gionem potestas & cura soli sibi permitteretur, & hac sua  
potentia & ad Dominatum secularem stabiliendum turpiter  
abusus fuerit, se nonnunquam opposuerunt, tamen & suc-  
cubuerunt. Sed cum stante illo rerum ordine res suas  
spesque in discrimine periculoque maximo constitutas  
viderent, Cleri Tyrannide indies invalecente, Monacho-  
rum superstitione crescente, Paparum insolentia & fastu  
gravius incumbente, ipsa etiam Doctrinæ sinceritate ra-  
flescente; Præsertim cum Monachus *Bernhardinus Sam-*  
*son* cum amplissimarum in illis oris nunquam haetenus  
auditarum indulgentiarum mercibus à Leone X. Ponti-  
ce Romano ad eos missus veniret, eosque invitaret, ut  
præsentem salutem præsenti pecuniâ redimerent; tum  
magna eorum pars sacrosanctam Theologiam heroico  
prosuls ausu, impetuque planè divino ab erroribus, qui-  
bus scatebat, repurgatam integritati restituerunt, cui lau-  
dabilis conatus initium præcipue fecit *Huldricus Zuvini-*  
*gius*, Pastor tunc Tigurinus, qui ipsis Calendis Januarii

An.

An. 1519 è sacra cathedra Evangelium Christi summo zelo, parique facundia & fidelitate, erroribus in fide & superstitione in cultu palam rejectis, frequenti concursu enarrare cepit, quod & in aliis Cantonibus, Disputationibus quibusdam publicè habitis pari felici successu factum est.

XXV. Hæc autem feliciter coepit Reformationis in cunabula, felixque ejus progressus Quinquepagani seu Pontificiis Cantonibus sudes in oculis fuit, hincque Evangelii affectas omnibus probris, maledictis, verborumque contumeliis vexarunt, Legatosque horum ad Comitia eorum, ad concordia fructus ob oculos ponendos, & foederis contra hos An. 1529. cum Ferdinandu Hungariae & Bohemiæ Rege initi insolentiam notandam, missos haud amico & foederato more tractarunt, & Subsilvani Præfectos suos Badam & in liberam Provinciam, litead-huc quadam inter illos, aliosvè Cantones pendente mittere conantur; qua de causa copias suas utraque pars eduxerunt, & omnia jam ad conflictum parata erant, sed interventu neutrorum Cantonum aliorumque, foederis Ferdinandiani instrumento tradito & dilacereto lis hæc sine sanguine composita & utrinque ab armis discessum est. Cum autem post conclusam hanc Pacis tantum imaginem Quinquepagani de novo Reformatos theonio dente rodere, multaque maledictain eos jacere incipiabant, cum variis Principibus &c. contra eos conspirabant, rursus An. 1531 res ad arma pervenit, ubi die 11. Oct. apud Cænobium *Capellam* signis concurrebant infestis, ut & die 24. ejusdem mensis in monte Tugio, exitu pro Reformatis satis non tamen ut multi, (de quibus vide Magni *Bullingeri adversus Cochleum* An. 1544. editum scriptum) mendaci stylo narrarunt, planè, infelici, ita ut his infortuniis moti Tigurini Legatos miserint in castra Quin-

Quinque paganorum & controversis finē imponant, quod factum die 16. Novembris ejusd. anni propè Baar in Territorio Tugensi, conclusa ibi Pace Religionis, (quam *Landes-Frieden Nationalem* vocamus) cuius præcipuum & ad hanc materiam præcipue pertinens argumentum in his consistebat; Ut neutra pars alteri cum sociis, quoad Religionem in suo territorio obstacula & præpedimenta obiciat; ut quælibet pars in Provinciis complurium Cantorum regimini subiectis [gemeinen Herrschaften] iuribus atq; privilegiis, quibus haec tenus gavisæ sunt, protinus gauderet, subditique Religionem, quam volunt profiteri atque exerceri possint; Ut bona inibi Ecclesiastica, salarioque Pastorum inter utrius Religioni addicatos pro rata redditum (*nach der Marchzahl*) dividantur, ut subditis gravissimè prohibeatur Religionem virulentis dictis laceſſere; alia huc nihil facientia recensere necessarium non putamus. Cū si quis plura de hac materia desideret, adire posſit *Eydgenoſſische Geschicht & Beschreibung* ad h. a. & *Historiam Helvetiæ plentorem* Msc. L. VIII. Vix Amplissimi Dn. Joh. Henrici Rhonii, Inclytæ Reipublicæ Tigurinæ Ex-Quæstoris, Helvetiæ Livii, Fautoris ac Patroni ad cineres usque colendi, qui odii, Iivoris, studii, causas procul habens felici stylo, attenta curâ, fideque pari hæc omnia ex probatissimis monumentis in lucem produxit.

XXVI. Hæc autem pax, quæ velut vinculum duarum Religionum socios unire & conciliare debebat, à malevolis quibusdam contra hanc Transactionem manifestè pugnantibus, etiam ab Helvetiis ipsis perperam explicata verbisque ejus alienus affictus est sensus. Mitto nunc plura, de quibus consulenda suprà laud: Dn: Hottingeri *Histor. Ecclesiast. Helv. P. III.* & tantum in medium proferam, quid *Autor clavis Themilogica* in illa aggrediatur,

E

dum

dum ib. p. 29. &c. Judicium parium in decidendis controversiis, litibusque Religionem concernentibus negare annititur, & art. 4. Pacis An. 1656, inter rursus ob Religionis quedam dissidia dimicantes Reformatos & Pontificios conclusa, in suam sententiam obtorto collo per trahere conatur, quem integrum hic apponere è re fore judicamus; Is autem ita sonat: *Cui libet Cantonum Religionis & supremi Dominii Jura cum facultate judicandi in propriis terris intacta & intemerata remanendo, reliqua si in controversiam veniant, iudicio Parium deciduntur.* In communibus Praefecturis *Libertas Religionis esto ex placito Pacis Capellen sis (Lands Frieden) & Transactionis Anno 1632. aliarumque Partitionum;* Ex harum prescripto orta forte certamina determinantur, sin dubium ingrat, an ad judicium Parium pertineat, id ab electis arbitris prius evolitor; judicium subterfugientes, aut judicio stare abnuentes Cantones Pacis conciliatores pro viribus compellunto. Hic esse ait, procellos & litium navis naufragii scopulum A-catholicis, questiones & casus circa catholicorum Religionem oriundos inßar eorum iudicio Parium quoque dimerendos ac decidendos fore & hinc utramque Religionem exequari, utriusque libertatem prorogativis iisdem, mutuâ vi ac reciproca ponderari contendentibus. Conclusionemque hanc tanquam male & perperam elicita rejicit, Pacemq; Capellensem totius rei basin & fundamentum, ex qua omnia certamina terminari debeant, esse dicit; cum autem illa nuspia id exigat imò contrarium statuat, hinc meritò id se facere contendere vult, hisce nimirum argumentis. 1. quia in illa pace §. 1. Religio Romana non minetur der wahre/umgezwiebelte/Christliche Glaube/ vera, indubitate, Christiana, & §. 2. der alte / wahre/ Christliche Glaube/ antiqua, vera, Christiana, Evangelica econ-

è contra der neue Glaube / nova fides, ex quibus verbis  
 extorquere conatur, majores nostros Religionem Ponti-  
 ficiam antiquam, veram, indubitatam Christianam fidem  
 censuisse, sed frustra; cum primò quam Religionem & fi-  
 dem pro antiqua vera, indubitata & Christiana habe-  
 mus, non ex hoc vi armorum extorta Pace, sed ex editis  
 libris symbolicis judicium ferendum sit. vel quis 2dō sa-  
 næ & immortæ mentis sibi persuadet Majores nostros de fi-  
 de sua ejusque antiquitate dubitasse, quam illi ex sacra  
 scriptura invictis argumentis asseruerunt, & pro qua tot  
 labores, tot sudores perpepsi sunt, quam etiam suo sangu-  
 ine defenderunt? 3. Hæc verba Pacis non sunt Lex, quæ  
 Partibus hanc pacem concludentibus quid de Religione  
 statuere debeant, prescribat, nec conventio inter illos de  
 vera Religione, aliás sine dubio Reformati sacris his re-  
 lectis ad Religionem Pontificiam rediissent. 4. nec ad ar-  
 ma iverunt, ut veritatem Religionis suæ, quam armis ma-  
 lè probari ac propagari perspectum habebant, probarent,  
 sed alia suberant causæ, de quibus nonnihil *thes. 25.* di-  
 ximus. 5. Ex annalibus constat hoc Pacis Instrumentum  
 nec à Pacifatoribus, nec ab utraque parte formatum ne-  
 dum in chartam relatum fuisse, ut id factum in Pace An.  
 1529. inter easdam Partes conclusa, ubi *§. 1. & 8.* Refor-  
 mata Relgio das Götliche Wort / Pontifica contrà,  
 die Meß ciuet, sed à Pontificio quodam compositum, & Ti-  
 gurinis hic non tam ad verba & titulos, quam rem ipsam  
 attendantibus ad subscribendum propositum; accedit 6.  
 quod cum verba rebus, non res verbis sint imposita, ju-  
 stum sit voluntates contrahentium potius, quam verbo-  
 rum conceptionem inspicere, *l. ult. C.* Quæres pign: oblig.  
 poss. cum verborum interpretatio nusquam tantum valeat,  
 ut sensu melior existat *l. 3. C. de liber. prater.* ne voluntas

contrahentium ob verborum subtilitatem impediatur.  
*I. un. C. ut action, ab hered. contra hered. l. 2. §. 1. C. de  
 constit. pecun. verborum quippe inanum ratio non est  
 habenda l. 9. C. qui admitt. ad bon. poss. cum mens potior  
 sit voce dicentis. l. 7. §. 2. de supelleet. leg.*

XXVII. Aliud argumentum antagonistæ in hoc  
 consistit, quod circa Praefecturas communes, art. 2. §. 2. eos,  
 qui tempore pacis ab antiqua Religione jam defecere, toleret  
 quidem nullo modo autem approbet, ut imposterum quisquam  
 ab antiqua Religione ad novam migrare posset, prout è contra  
 expressè cavit; plenumque ac liberrimum Jus postlimini re-  
 servet, iis, qui de nova ad antiquam veram fidem reverti vi-  
 lant. d. art. 2. §. 2. Ob aber etliche derselben, die den neu-  
 en Glauben angenommen / und wieder davon zustee-  
 hen begehren / und den alten / wahren Christlichen  
 Glauben wieder annehmen wolten / daß sic dasselbige  
 freyes Urlaub von männlich ungehindert gut Zug/  
 macht und gewalt haben sollen, concludit ergo; quod si jus  
 singulare in uno denotat jus commune in contrario in altero,  
 itemq; inclusio unius exclusionem in altero, ergo utriq; Religioni  
 non eadē vis, potestas ac ratio. Respondeat hic 1. pro nobis  
 experientia & rei, quam ille mysticus foederum Helveticorum  
 interpres in controversiam vocat, liberum ad hoc us-  
 que tempus exercitium, quæ testantur, non paucos Ponti-  
 ficiâ Religione relictâ Reformatæ nomen detisse, 2. quod  
 illa verba de Pontificiis solummodo dicantur, non au-  
 tem etiam de Reformatiis, non inde venit, quasi non ea-  
 dem vis, potestas ac ratio hisce competeteret, quod luben-  
 ter, sed frustra Clavifex ille veller, sed eorum vera causa  
 erat conditio communium illo tempore Provinciarum,  
 ubi in Turgovia & Reguscorum Valle Papismus ferè to-

tus

tus extictus, in aliis verò fluctuabat & exterminium minitabatur, dum nempe post primam Pacem Ao. 1529. initam, secundum cuius primum articulum / in quo haecleguntur verba ; Was unter den Kirchgenossen / die Messauff oder abzuthun gehabret wird / darbey soll es biß auf der Kirchgenossen gefallen bleiben ). Missa & Religio Pontificia in plerisque locis per majora fuit deturbata , hinc in secundo Ao. 1531. conclusa Pace Religionis, Pontificii suæ Religioni consulentes, fidei suæ sociis, licet paucioribus, liberum Religionis exercitium , unâ cum Reformatis, quibus exercitium per hoc nequaquam ademptum est, rursus acquisitum hæc, ut & alia omnia, quæ ad rem suam faciebant , Paci inseruerunt . 3. Licet Pacem hanc concludentes Pontificii omni nisu Religionem suam dilatare, ac propagare in animo habuerint, nequaquam tamen foedus cum Reformatis, antea pactum rumpere & irritum reddere voluerunt, quod sine dubio factum fuisset, si tam dura & quæ Reformati nunquam concedere potuissent, ut hæc sunt, petiissent ; & si illis ab his concessa fuissent, cum tamen non sint, sine dubio Pax hæc brevi ævi fuisset, & hæc male pœna statim postea aut amicè aut alio medio rursus abolita fuissent ; in hoc ergò articulo Pontificiis solummodo rursus conceditur Religionis exercitiū, quod ut supra dictū, iis per majora ademptum fuit; nulli verò eripitur libertas Religionis Pontificia relieta ad Reformatos transeundi, Ob auch dieselben ( Pontificii ) die Sieben Sacrament wieder auffrichten und halten wollen / daß sie das auch thun sollen und mögen/ und dasselbige als wohl halten als NB. der ander Theil die Prædicanten ; his nunc verbis mirum rursus sensum affingere annititur Antagonista p. 31, dum scribit, sermonem hic esse duntaxat de Præconio ante suscepsum bellum subsecutamque Pacem introducto

E 33

ducto, neutiquam vero de Praconio post constitutam Pacem  
 noviter erigendo, neque hoc loco Jus Praconii noviter eri-  
 gendi concedi, sed limitari potius & in gratiam Catholicorum  
 restringi; sed rursus vano & nullo successu; Nam primùm  
 Pontificiū hīc suis hoc Jus expressè vindicarunt, quia put-  
 tabant, illud à Reformatis iis denegatum esse; Reformati  
 è contra hoc Jus jam tum habuerunt, quotidieque illud ex-  
 ercuerunt, hinc nullam ob causam illud sibi asserere neces-  
 se habuerunt, deinde sine dubio in secunda hactransactio-  
 ne articulus transactionis primæ, in quo Reformati Jus  
 illud permittitur, fuisse expressè expunctus, cùm alias Pon-  
 tificiū in hac Pace pro lubitu mutarint, quæcumque in rem  
 eorum fore putabant; postremò si Pax hæc solummodo  
 annos duos vel tres valere debuisset, cur non iterum ex-  
 pressè anni hi definirentur; Hinc facile, (cum & mul-  
 tis exemplis probari posset, quod in triginta vel pluribus  
 locis exercitium Reformatæ Religionis, etiam multis post  
 Pacem Capellanam annis, in Præfecturis communibus sta-  
 bilitum sit,) rursus assertionem adversarii falsam esse luce  
 clariùs est, consequenterque ei verba sua leviter im-  
 mutata posteriori occinere possemus Jure, & dicere, unam Re-  
 ligionem parem esse alteri, utriusque jura eadem decem pàdā  
 dimetiri, prærogativisque iisdem exornari. Nec sanior est  
 ejus ex hisce præmissis facta Conclusio, dum scilicet dicit  
 Pontificios jure merito, *Jura Catholica Judicio Parium vel*  
*electorum prius arbitrorum subjuganda* (submittenda dicere  
 volebat) esse negare; innanis quoque hujus conclusionis  
 probatio, quia illorum Religio sit unicè Vera, indubitate  
 etate sive tempore prior, & quieta, antiqua, pacifica nec inter-  
 rupta possessione firma semper & in concusa perstiterit, in-  
 quem finem citat Pacis illius Art. 1. & 2. Verba; sed ad  
 probationem hanc arietes admoveat majores necesse est,  
 cum hæc partum falla, partim ad rem parùm facientia;  
 Nam

Nam quid de illorum Religione vera, si Christo placet, sentendum sit ex Theologicis scriptis patet; euidem vocatur *vera & antiqua*; sed quid tum? nomen habet, non rem ipsam; denique nunquam interrupta possessione firmā semper & inconcussam perstissē, negat Historia.

XXVIII. Ad sententiam suam utrumque stabilendam Casum ponit sequentem; *si libertas Religionis Reformatorum in Prefecturis communibus à Catholicis obtorto collo in jus rapiatur & inquirit, an tunc Reformati in Jus vocati iudicio starent, nec ne?* Sententia ejus summa haec est; *Quoties emergente Judicio Parium, aut Arbitrorum in contrarias partes illi discederent, eoitis Jura suprematū, quibus quoque Jus Sacrorum intimè insit, ad majorem condominorum numerum revolvit, & ab his litem tunc componi, quoniam igitur hoc nomine Pontificia Religio in prefectoriis communib⁹ Religio Dominans sit, id circō in controversiis circa Reformatā Religionem oriundis, si Judicio Parium in aequales votorum partes distracto nihil decidatur, Pontificios prevalere debere.* Sed Responsio in promptu est, dum ille ipse sibi obloquitur p. 46. scribens; *Ea est conditio in systemate fœderatorum [cujusmodi Helvetiam esse ipse agnoscit] ut si negotia tractentur, que communem felicitatem tangunt [que inter merito & Religionis negotia numerantur] Pars major non prevaleat minori, neque plura suffragia preponderent, nisi id ipsum & in quantum in fœdere expressum fuerit.* Nunc autem ex Pace hac Religiosa clarum est, eam esse reciprocā (ut ex superioribus patet) quā propter & Pontificia Religio non dominans sed socia est, ita ut Reformatā iisdem cum illa juribus fruatur; imò Religionem Reformatam in Turgovia dominantem potiori jure dixeris, quum post Pacem A.O. 1529, innitam longè major numerus Communifatum eam receperit, & biennio demum post Pontificia quasi posthliminio pristinam exercendi libertatem

tem recuperārit. Quid autem in casu proposito, ubi paria sunt suffragia, obtineat, satis certum est, nempe nihil actum esse, & rem manere in statu, in quo fuit; in quo tamdiu manet donec mutatio accedat; cum autem major tantum pars mutationem status prioris facere possit, ut ex supra dictis patet, hinc sequitur, si pares sint sententiae, nihil agi, sed priorem rei statum manere, cum nulla adlit decisio & nesciatur quenam sententia obtinere debeat, dum unaquaque pars æquale jus habeat, & nemo superfit, qui suo calculo majora suffragia efficere queat, v. illustr. D. Coccej, *Jurispr. publ. C. 8. §. 11.* Accedit & ea ratio, quia ad mutationem non satis est momenti, & parutrinque pondus æqui librio velut rem suspendit, vid. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 5. §. 18. *Pufend. de J. N. & G. l. VII. c. 2. §. 17.* Quid verò in illo casu Reformati agere debeant, mecum non est definire, hoc tamen afferere audeo, eos nequam consilio ejus usuros, cum longè aliam viam ostendant Conventions & Pacta inter illos facta, ut & præcipue Pax Religiosa ipsa, ut supra visum, quam tamen non in vim Parti, sed Legis fundamentalis valere dicit, cum tamen ex ipsa æquis Lector facile videre possit, in illa contineri solummodo conventionem & Pactum, quid una Pars alterius Partis religionis sociis in communibus Præfecturis concedere velit, vel nolit, ita ut una, nec altera pars sine consensu alterius in illa ne minimum quidē mutare valeat, nec una præ altera privilegiis & prærogativis ullis gaudeat, cum Transigentes nullam in alios potestatem habeant, & hinc & in explicatione & interpretatione ejusdē pacis unica & vera Mensura est Intentio, & sententia partium Transigentium cum à contractibus, nisi Partis utriusque consensu recedi non potest. s. C. de Obl. & Att. v. Anth. die Grundvest. p. 3, c. 8.

XXIX. Ne autem fæderum Helveticorum magnus  
tantum videatur interpres, vatem etiam agit, dum addit,  
*in excidium Reip. discordiam hanc sive Diversitatem Reli-*  
*gionis erupturam esse, nam ex quo Religione dissidere cœpe-*  
*rint, rimas egisse concordiam, quâ prius valebant.* En tibi  
Lector, insignem, quahujus Clavis Autor pollet, Historia-  
rum Helveticarum notitiam. Quasi non Tigurinorum cum  
coeteris Cantouibus, Bernensium cum Valesianis & Fri-  
burghensibus, aliorumque tunc temporis fidei sociorum,  
cum aliis gesta bella manifestè contrarium, & Helvetios in-  
testinis bellis multò crebrius implicatos fuisse, jam tum,  
cum uni adhuc parerent Pontifici Romano omnes, pro-  
bet. Ipsa Helvetia nunquam pacatior & tranquillior,  
quam ab ipso illo tempore, quo Religionis Divortium  
fuit introductum, erroris convincit Clavigerum; ante il-  
lud enim, ut unda undam sic bellum trusit bellum; ab  
illa ætate certè adhunc usq; diem nulli orbis Christiani parti-  
clementissimus Deus tam longam pacem & tranquilli-  
tatem concessit, quam optamus, ut in posterum quoque  
quàm gratiosissimè concedat; nec semper Religio-  
nis diversitas in excidium Reip. vergit, ut optimè dicit  
le Conseiller d' Etat l. I. c. 17. *On aven plusieurs Royaumes &*  
*Principantes se conserver en repos avec l'exercice de deux*  
*Religions différentes; mais il n'en a point este ven, qu'ils n'*  
*ayent esté ruinez par les cours & durée des guerres Civiles;*  
vide & Reinking de R. S. & E. l. 3. cl. 1. c. 1. n. 29 Carpz.  
de Leg. Reg. Germ. c. 3. scđt. 5. & multos alias citatos à  
Mylero in addit. ad Rumel. P. 3. Diff. 2. corol. 1. Fateor  
equidem ex Religionis Diversitate nonnunquam quidem  
disidia oboriri posse, sed probi nostri Majores quàm sa-  
pientissimè iis obviam iverunt Pactis, Recessibus & Con-  
ventionibus, præcipue autem etiam in Pacis illius Natio-

nalis Religionis Tabulis, quæ si recte interpretationi detur locus, si non à male volis contraque Pacificationem hanc manifestè pugnantibus turbarum & colis Sophisticis artibus intorquerentur, res Helvetiæ certè melius ac pacatius sese haberent. Ad ultima ejus verba: *Utrum licet valide que & ea NB. Imperii & ea NB. Helvetia Pax Religiosa fuerit conclusa, examinare brevitas non patitur, laudem rationam, quam utraque meretur, exhauseris, si dixeris, fuisse illam & hodie esse malum necessarium.* Ad hæc inquam verba, non alia hic repono, quam ultima quoque verba Pacis illius Religionis; *Dieweil wir beyde Partheyen/ uns umb dieser vorgeschriebnen Articuln vereint/ die zwischen uns abgeredt/ beschlossen/ und von beyden Theilen mit guten Treuen zu halten angenommen: So soll nun hiermit alle Wehd/ Feindschafft/ Zwyertracht/ Neyd/ Hass und Unwill/ so sich durch Wort und Werk in und vor diesem Krieg erhebt und begeben/ zwischen uns zu beyden Theilen hin/ tod und absyen/ einander in böser und arger Meinung nicht mehr fürziehen noch gedachten/ sonder aller Dingen verziegen sein/ und hinsiuro/ ob Gott will/ in ewigen Zeiten einander für gute Freunde und getreue liebe Eydgenossen halten/ und einander mit feilen Kauff/ und sonst in all andere Weg/ als getreue Liebe Eydgenossen sicher und ungefecht durch einander handeln und wandalen/ nach jedes Gelegenheit und Nothdurfft.* Quæ quomodo cum cavillationibus Retiarii illius convenient B. L. dijudicandum relinquimus, hicque pedem figimus, & plura de hoc Thematè cupientem ad *Historia Ecclesiastica Helvetia P. III.* sèpius laudati D. Hottingeri reinmittimus. Deus interim, infinita sua gratia, qua me ab ineunte ætate prosecutus est, studia & conatus meos deinceps etiam prosequi pergit! *Ei sit la' hohor & gloria in sempiterna secula!*

COROL.



## COROLLARIA.

- I. *Jus Natura est immutabile.*
- II. *Jus Gentium secundarium autem est mutabile, & Gentes eo non obligantur.*
- III. *Metus non tollit voluntatem.*
- IV. *Ob denegatum transitum etiam cum exercitu ceteris paribus iusta est belli causa.*
- V. *Dantur Respublicæ mixtae.*
- VI. *In Aristocracia, Democratia, ut & sisteme Civitatum & que vera Majestas est, ac in Monarchia.*
- VII. *Optima Reip. forma est, quæ convenit ingenio cuiusq; populi.*
- VIII. *Forma Imperii Romano-Germanici mixta est ex statu Regio, optimatum & Populari.*
- IX. *Fœdera cum diversæ Religionis sociis inire licet.*
- X. *Fœdus Helveticum est legitimè pactum.*
- XI. *Helvetii origine sunt Germani, non Galli.*

XII.

XII. Injustè accusantur Helvetii, quasi Nobilium  
arces, (quarum ultra 800. in illis terris nu-  
merabantur) soli & sine causa diruerint.

XIII. Leges forenses Iudæorum malè apud nos  
dicuntur abrogatae.

XIV. Optimè fure Patrio Tigurino constitutum,  
Matrimonium & posse dissolvi ex gravibus  
causis & circumstantiis etiam extra crimen  
adulterii & malitiosæ desertionis.

XV. Si quis virginem appellaverit seinen  
Schatz / sponsalia inde non probantur , nec  
si puella de matrimonio interpellata respon-  
derit ; Tots auch Fragenswerth ? neque  
ubique valet illa parœmia .

Ist der Fänger beringet/  
So ist die Jungfrau gedinget.

## ERRATA.

P. 30. lin. 19. post *Conventibus*, lege *Deputatorum*, &c p. 32. l. 19,  
*pronentrorum*, lege *mediorum*.

Marburg, Diss., 1708-18

f



TA-70L

nur b verknüpft

VP18







C. 78. num. 73.

**DISPUTATIO JURIDICA**  
**DE**  
**PLURALITATE**  
**SUFFRAGIORVM**  
**IN CAUSIS RELIGIONIS**  
*Quam*  
**DIVINI NUMINIS AUSPICIO**  
*IN*  
**ILLUSTRI CATTORUM ACADEMIA**  
**MARBURGENSI,**  
**P R Ä S I D E**  
*VIRO AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO,*  
*ATQUE EXCELLENTISSIMO, DOMINO*  
**CORNELIO van den VELDE,**  
**J. U. D. ET PROFESSORE ORDINARIO**  
**CELEBERRIMO,**  
**DOMINO, PATRONO, HOSPITE AC PRÄCEPTORE,**  
**OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDO,**  
*Publico Eruditorum Examini*  
**In ICTORUM Auditorio.**  
 Ad Diem Augusti M DCC VIII.  
*submitit*  
**JOHANNES JACOBUS LEO,**  
*Helvetio-Tigurinus,*  
*Responsurus Auctor.*

*Marburgi Carr. Typis Hæred. Joh. Jodoci Kürsneri, Academ. Typogr.*

